SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS
ET DOMINI NOSTRI


P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ VI.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Univerſæ Eccleſiæ Catholicæ.



R O M Æ MDCCLXXVI.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis

PIUS PAPA VI.

VENERABILES FRATRES

Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.



INSCRUTABILE Divinæ Sapientiæ conſilium, cujus ſemper mirabilia ſunt opera, quemadmodum David natu minimum elegit inter mille, ſuſtulitque de gregibus ovium, ut in excelſo ſolio gloriæ poſitus populum ſuum regeret, atque in virga directionis Deo redderet acceptabilem; ſic adeo non ſprevit humilitatem Noſtram, ut quamvis in Purpuratorum Patrum Senatum noviſſimi omnium eſſemus adſcripti, atque poſtremum locum teneremus, Nos tamen præ ceteris, qui Pontificio Diademate digniores videbantur, voluerit Epiſcopalis Officii habere Principatum, & ad tanti honoris ſublimitatem evectos univerſæ Eccleſiæ ſuæ eſſe Rectores. Quam dignationem plane admirandam, & bonitatem in Nos immenſam, quum taciti & grato Animi ſenſu adſidue conſideramus, a lacrymis temperare non poſſumus, be-

neficentissimam illam Misericordiam, simul atque Omnipotentiam perpendentes, qua in eum munera sua contulit amplissime, in quo nulla meritorum suffragia invenit; constituens Nos infirmos, & immerentes in Caput Gentium, ut æterni Pastoris Vicariam Procurationem gerentes in Terris, pasceremus Israel hæreditatem suam, eamque adduceremus in Montem Sanctum Sion, Cælestem Hierusalem. Et quoniam maxime convenit, ut obsequium Nostrum, & oblatio consecrati Pontificis a Sacrificiis Dominicæ laudis inchoetur; non possumus non erumpere in voces exsultationis, confitentes Domino, & clamantes cum Propheta (*a*): Laudem Domini loquatur os Nostrum; & nomen Sanctum ejus Anima Nostra, ac Spiritus, Caro, & Lingua benedicat. At *si religiosum est gaudere de Dono; necessarium est etiam trepidare de merito. Quid enim tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?* (*b*).

Quem non terreret præsens Christiani Populi status, in quo Divina illa Caritas, qua in Deo manemus, & Deus in nobis, plurimum refrigescit; scelera autem, ac iniquitates magis in dies invalescunt? Cujus non obrueret animum gravissima illa consideratio, quod Ecclesiam Christi Sponsam custodiendam, ac tuendam suscipimus eo tempore, quo Orthodoxæ Religioni tot struuntur insidiæ; quo salutaris Sacrorum Canonum norma tam impudenter contemnitur; quo denique turbulenti homines immani quadam novitatum prurigine furentes vel ipsa rationalis Naturæ

adgre-

(a) Ps. cxliv. 21.
(b) S. Leo M. Serm.I. Cap.II. & Serm.II. Cap.I. postr. Venetæ Edit. FF. Ballerin.

adgredi non dubitant fundamenta, atque item conantur, si fieri posset, subvertere? Profecto *in hac tanta materia trepidationis nulla Nobis esset dependendæ fiducia servitutis, nisi non dormitaret, neque obdormiret qui custodit Israel, & qui Discipulis suis ait = Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; nisi dignaretur non solum Custos ovium, sed ipsorum etiam Pastor esse Pastorum* (a).

Quoniam vero tunc maxime, & abundantius in Nos munera divina descendunt, quum Nostra ad Deum adscendit Oratio; Vos, VENERABILES FRATRES, Adjutores, & Consultores Nostros nunc primum adlocuturi, illud etiam in primis a Vobis magnopere expetimus pro ea, qua in Domino unum sumus, Caritate, proque ea Fide, qua in unum Corpus coalescimus, ne cessetis quotidianis obsecrationibus vestris instare enixius apud Deum, ut confortet Nos in potentia Virtutis suæ, effundatque super Nos Spiritum Consilii, Spiritum Fortitudinis, quo inter tot rerum, ac temporum difficultates, & quæ agenda sint, videamus, & ad implenda, quæ viderimus, convalescamus. Orate igitur in Spiritu; & sit Oratio vestra, & Invocatio erga Nos amoris, & fraternæ conjunctionis probatio certissima. Atque ut promptius, quod Nobis necessarium est, impetremus, Sanctissimæ Dei Genitris Mariæ, cujus Patrocinio maxime confidimus, totiusque cælestis Curiæ merita interponite; præsertim vero tutelam Nobis, & præsidium implorate Beatissimi Petri Apostoli, *cujus Sedi non tam præsidere, quam servire gaudemus, sperantes orationibus ipsius esse præstandum, ut Deus Misericordiarum Mini-*

(a) Id. S. Leo Serm. V. al. IV. Cap. II.

sterii Nostri tempora benignus aspiciat, Pastoremque ovium suarum custodire semper dignetur, & pascere (a).

Jam vero hoc ipso assumptæ a Nobis Apostolicæ Servitutis initio, quanto possumus Paternæ Caritatis studio, Vos, Venerabiles Fratres, excitamus, & commonemus, ut fideles habeamini Dispensatores Mysteriorum Dei. Vos, quorum pars Dominus est, non ignoratis quid Vos facere oporteat, quos labores pro Ecclesia Dei sustinere, ut fortiter impleatis Ministerium Vestrum. Hortamur itaque Vos, atque obsecramus, ut suscitetis Gratiam, quæ est in Vobis per impositionem Manuum; nec quidquam prætermissum velitis, quod ad augmentum ejus Corporis pertineat, *quod compactum ex Christo est, & connexum per omnem juncturam subministrationis* (b) in Fide, & Caritate. Quamobrem quum satis persuasum Vobis omnibus arbitremur, præcipuum Ecclesiæ Bonum ex eo derivari, ut nemo, nisi per omnia probatus Clericali adscribatur Militiæ; necesse non est, ut eorum, quæ in hanc rem Sanctionibus sunt constituta Canonicis, diligentissimam Vobis commendemus observationem. Pro eo enim, quo incensi estis studio, id adcuratissime perficietis, ut qui sanctitate morum non præstant, qui docti in Lege Domini non sunt, qui demum aut nullam, aut tenuissimam de se, suaque industria præbent expectationem, illis ad Ecclesiasticam Militiam nullus pateat aditus; ne qui Vobis manus debent adjutrices in pascendo, regendoque Grege exhibere, ii labori Vestro addant laborem, molestiam molestiæ, sintque Vobis impedimento, ne eos Vineæ fructus Dominus a suis Cultoribus accipiat, quos in futuri retributione Judicii a Vo-

(a) S. Leo ibid. Cap. V.

(b) Ad Ephesios IV. 16.

a Vobis severissimus æque, ac justissimus exactor Christus requiret. Sanctitate præcellat oportet, & doctrina, qui Sacerdos est futurus; repellit quippe a se Deus, ne Sacerdotio sibi fungantur, qui scientiam a se repulerint, nec Operarius ad Messem par, aptusque esse potest, qui morum pietati scientiarum non conjunxerit studia. Quod quum fieri sine adcurata institutione non valeat, eapropter opportune decretum est, ut in unaquaque Dioecesi Clericorum Collegium pro modo facultatum, si deesset, institueretur; institutum autem studiosissime conservaretur. Nisi enim a teneris annis ad Pietatem & Religionem informetur, atque in Litterarum Palæstra exerceatur ad lubricum iter prona ac proclivis Adolescentium ætas; quo pacto fieri poterit, ut vel in Disciplina Ecclesiastica sancte perseveret, vel eos in humanis, ac sacris Litteris progressus faciat, quos ad populi fidelis exemplum, atque institutionem Ministerium Ecclesiæ postulat? Collegia hujusmodi recte instituta, sancte conservata studio vestro, atque aptissimis Legibus diligenter communita, multoque magis quam antea amplificata esse in singulis Dioecesibus facile Nobis persuademus; præsertim posteaquam immortalis memoriæ Benedictus XIV. Prædecessor Noster id operis, tamquam muneri Vestro pernecessarii, unicuique Vestrum tantopere commendavit (*a*). Quamobrem sicuti Apostolicæ laudationis præconio eximios labores, ac diligentiam in iisdem colendis, augendisque fraudare non possumus; ita, si forte in aliqua Dioecesi aut instituta adhuc non essent, aut otiosa detinerentur, non possumus non vehementer eos, ad quos spectat, impel-

 lere,

(a) Epist. Encycl. Ann. 1741.

lere, illisque etiam præcipere, ut in rem adeo utilem omni virtute enitantur.

Ob eamdem caussam suspicari non licet, quin id, quod maxime Fidelium animos commovere, atque in sacrarum rerum venerationem solet adducere, decorem videlicet Domus Dei, & eorum, quæ Divino cultui sunt addicta, nitorem, dignitatemque omni tempore adprime curetis. Quam absonum esset Episcopi Domum mundiorem esse, & elegantius ornatam, quam sit Sacrificii Domus, Sanctitatis Hospitium, Aula Dei vivi? Quam absurdum Sacras Vestes, Altarium ornamenta, atque universam Supellectilem vel vetustate squallentem, & conscissam, vel sordibus fœdatam intueri; Mensam autem Episcopi splendide paratam, Sacerdotis indumenta nitidissima, & ad multam venustatem composita? *Quanta confusionis opprobrium est*, ut præclare scripsit S. Petrus Damiani, (*a*) *quod nonnulli in squallido linteo Dominicum Corpus & offerant, & involvant; & quod non dignaretur Potens quilibet, qui tamen Vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti Corpus non verentur imponere Salvatoris!* At Vos certe quidem, VENERABILES FRATRES, ab hujus negligentiæ crimine disjunctissimos existimamus, cui obstrictos maxime vult Sanctus idem Cardinalis eos, qui ex adquisitis Ecclesiæ Bonis non *Codices* emunt, *non ornamenta, non utensilia suis Ecclesiis* comparant; sed in suos usus quasi *necessitudinis sumptus* cuncta prodigere non perhorrescunt.

De his igitur Vobiscum amanter loqui, VENERABILES FRATRES, non inutile esse putavimus ad optimæ voluntatis Vestræ confirmationem. At multo gravius aliquid ser-

(a) Lib. IV. Epist. 14. Tom. I. Opp. Edit. Rom. 1606.

ſermonem Noſtrum, ſeu potius Noſtrarum vim lacrymarum exquirit, & vindicat; peſtilens nimirum ille morbus, quem Noſtrorum temporum nequitia parturit; ut unanimes, conjunctiſque viribus neceſſariam adhibeamus medicinam, ne diſſimulatione Noſtra inſanabilis in Eccleſia nutriatur, atque excreſcat peſtilentia. Videntur enim noviſſimis his diebus inſtare *tempora illa periculoſa*, de quibus prænunciavit Apoſtolus Paulus; (*a*) quando nempe erunt *homines ſe ipſos amantes*, *elati*, *ſuperbi*, *blaſphemi*, *proditores*, *voluptatum amatores magis quam Dei*, *ſemper diſcentes*, *& nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, *habentes ſpeciem quidem pietatis*, *Virtutem autem ejus abnegantes*, *corrupti mente*, *reprobi circa fidem*. Hi ſe erigunt in Magiſtros *mendaciſſimos*, ut eoſdem appellat Apoſtolorum Princeps Petrus, atque introducunt ſectas perditionis; & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Dicunt ſe eſſe ſapientes, & ſtulti facti ſunt; & obſcuratum eſt inſipiens Cor eorum. Quam multos plena fallaciis jactet ubique triumphos Philoſophia, ea nimirum quæ tam honeſto vocabulo ſuam abſcondit impietatem, quantaque facilitate ad ſe trahat adliciatque Populorum multitudinem, Vos ipſi bene proſpicitis, qui Speculatores conſtituti eſtis in Domo Iſrael. Dogmatum iniquitatem ac nequiſſima deliramenta, quæ inſinuat, quis aut dicendo perſequi poterit, aut cogitando comminiſci? Dum videri volunt ſibi quærere hujuſmodi homines Sapientiam, *quia non rite quærunt*, *prolabuntur longius*; *& in tantos errores incidunt*, *ut etiam communem ſapientiam non te-*

(a) II. ad Timoth. III.

teneant. (*a*) Atque equidem eo usque deveniunt, ut impiissime effingant, aut non esse Deum, aut otiosum esse & desidem, nihil nostra curantem, nihil hominibus revelantem; ut proinde mirandum non sit, si quidquid Sanctum, atque Divinum est, blaterent esse inventum atque excogitatum ab imperitorum hominum mentibus, inani futurorum metu perculsis, & vana immortalitatis spe illectis. Sed fraudulenti isti sapientes tantam Dogmatum perversitatem iis verborum, ac sententiarum lenociniis emolliunt, & occultant, ut infirmiores, qui plurimi sunt, quasi quadam esca capti, miserandum in modum irretiti, aut fidem prorsus abiiciant, aut certe labefactari magnopere sinant; dum quasi præclaram aliquam scientiam consectantes aperiunt oculos ad falsam eam lucem hauriendam ipsis tenebris deteriorem. Nimirum hostis Noster nocendi cupidus, & peritus, sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis adsumpsit; ita horum Linguas, Linguas sane dolosas, a quibus Animam suam liberari postulat Propheta (*b*), ad seducendos Fidelium animos veneno suæ falsitatis armavit. Itaque suo hi sermone *humiliter irrepunt*, *blande capiunt*, *molliter ligant*, *latenter occidunt*. (*c*) Quanta hinc in moribus corruptio, quanta in cogitando loquendoque licentia, quanta in omni actione arrogantia, & temeritas!

Et vero his offusis tenebris, atque evulsa e cordibus Religione, id præterea adgrediuntur perditissimi hi Philosophi, ut quibus homines vinculis inter se,

(a) Lactant. Divin. Instit. lib.III. Cap.28. Edit. Parif. 1748.
(b) Ps. CXIX. 2.
(c) S. Leo M. Serm.XVI., al. XV. Cap. 3.

ſe, atque cum Dominantibus conjunguntur, & in officio continentur, ea omnia diſſolvant; liberum hominem naſci ad nauſeam uſque clamitant, regeruntque, nec cujuſquam obnoxium imperio; Societatem propterea multitudinem eſſe hominum ineptorum, quorum ſe proſternat ſtupiditas coram Sacerdotibus, a quibus decipiantur, coram Regibus, a quibus opprimantur, adeout concordia inter Sacerdotium & Imperium nihil ſit aliud, quam immanis conſpiratio contra inſitam homini libertatem. Quotus autem quiſque non videt hujuſmodi deliramenta, atque horum ſimilia multis ſimulationum involucris contecta, tanto majorem quieti & tranquillitati publicæ adferre perniciem, quanto tardius Auctorum coercetur impietas; Animabus vero Chriſti ſanguine redemptis eo eſſe graviori detrimento, quo, ut Cancer, Sermo eorum latius ſerpit, atque ſe intrudit in publicas Academias, in Magnatum Domos, in Aulas Regum, &, quod horrendum dictu prope eſt, etiam in Sanctuarium ſe inſinuat?

Vos propterea, VENERABILES FRATRES, qui eſtis Sal terræ, Cuſtodes Dominici Gregis, & Paſtores, quorum eſt prœliari prœlia Domini, exſurgite, & accingimini gladio Veſtro, qui eſt Verbum Dei; atque a finibus Veſtris improbam contagionem depellite. Quouſque tandem communem Fidei, & Eccleſiæ contumeliam diſſimulamus? Tamquam clamantis Chriſti Sponſæ gemitu Nos excitari putemus illis Bernardi Verbis: (a) *Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima; ama-*

(a) Serm.XXXIII. ſuper Cantic. n.16. Tom.IV. Opp. Edit. Pariſ. 1691.

amara prius in nece Martyrum , amarior post in conflictu Hæreticorum , amarissima nunc in moribus Domesticorum . . . . Intestina est plaga Ecclesiæ ; & ideo in pace amaritudo mea amarissima . Sed in qua pace ? & pax est ; & non est pax . Pax a Paganis , & pax ab Hæreticis ; sed non profecto a Filiis . Vox plangentis in tempore isto : Filios enutrivi , & exaltavi ; ipsi autem spreverunt me . Spreverunt , & maculaverunt me a turpi Vita , a turpi quæstu , a turpi commercio , a negotio denique perambulante in tenebris . Lacrymosis his questibus pientissimæ Matris quis se commoveri , atque impelli vehementer non sentiat ad præstandam omnem suam , quam Ecclesiæ arctissime pollicitus est , industriam atque operam ? Vetus igitur fermentum expurgate ; auferte malum de medio Vestri , idest venenatos Libros ab oculis Gregis magna vi & sedulitate extorquete ; Animos autem infectos prompte fortiterque segregate , ne sint ceteris nocumento . *Aliter enim* , ajebat Sanctissimus Pontifex Leo , (*a*) *Nobis commissos regere non possumus , nisi hos , qui sunt perditores , & perditi , zelo fidei Dominicæ persequamur ; & a sanis mentibus , ne pestis hæc latius divulgetur , severitate qua possumus , abscindamus* . Qua in re perficienda Vos hortamur , obtestamur , & monemus , ut quemadmodum in Ecclesia una est Fides , unum Baptisma , unusque spiritus ; sic unus omnium Vestrum sit Animus , & concordia individua , una eademque & jugis contentio ; & qui juncti estis institutis , pari etiam Virtute , ac voluntate conjungamini . De summa re agitur , quia agitur de Fide Catholica , de Ecclesiæ puritate , de Sanctorum Doctrina , de tran-

(a) Ep.VII. al. VIII. , ad Episc. per Italiam cap.2.

tranquillitate Imperii, de salute Populorum. De eo agitur, quod ut ad universum Ecclesiæ Corpus, sic ad Vos maxime pertinet, qui Pastores estis in partem sollicitudinis Nostræ vocati, & quorum vigilantiæ puritas Fidei est singulariter commendata. *Nunc itaque, Fratres, quoniam Vos estis Episcopi in Populo Dei, & ex Vobis pendet Anima illorum, ad eloquium Vestrum corda eorum erigite*, (a) ut stent in fide, & ingredi valeant in illam requiem, quæ solis Credentibus parata esse dignoscitur. Obsecrate, arguite, corripite, increpate, nolite timere; indiscretum quippe silentium hos, qui erudiri poterant, deserit in errore, illis, & Vobis, a quibus depelli debebat, damnosissimo. Sancta Ecclesia tunc valentius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate fatigatur; neque in divino hoc opere aut potentiam Adversariorum, aut gratiam pertimescatis. Absit timor ab Episcopo, quem unctio Sancti Spiritus roboravit: Absit a Pastore metus, quem Princeps Pastorum suo docuit Exemplo vitam ipsam pro salute Gregis contemnere: Ab Episcopali pectore absit vecordia mercenarii, & abjectio. Egregie pro more suo Magnus ille Antecessor Noster GREGORIUS (b), Ecclesiarum Præsides erudiens, inquiebat: *Sæpe Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ Pastorum studio, sed Mercenariorum vice deserviunt; quia veniente Lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.... Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga præbuisse?* Quod si nequissimus humani generis hostis, quo cona-

(a) Judith. VIII. 21.
(b) Reg. Pastor. Part. II. cap. 4. Tom. II. Opp. Edit. Paris. Monach. S. Mauri.

conatibus Vestris acrius obsistat, illud aliquando efficiet, ut Religiosis Sæculi Potestatibus abscondita sit grassantis morbi pestilentia; ne quæso concidatis Animo, sed ambulate in Domo Dei cum consensu, cum oratione, & veritate, quæ sunt Arma Militiæ Nostræ. Mementote, quod contaminato Judæ Populo, nil ad illius purgationem aptius visum est, quam ut Liber Legis, quem paullo ante invenerat Helcias Pontifex in Templo Domini, cunctis a Parvo ad Maximum audientibus, promulgaretur; & statim consentiente universo Populo, abominationibus destructis, *fœdus percussum coram Domino est, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus & testimonia, & cæremonias in omni corde, & in tota anima* (*a*). Non dissimili ratione Sacerdotes & Levitas misit Josaphat, qui habentes Librum Legis circumirent Civitates Juda, atque erudirent Populum (*b*). Vestræ Fidei, VENERABILES FRATRES, divini Verbi promulgatio non humana, sed divina est auctoritate commissa; Congregate ergo Populum, adnunciantes illi Jesu Christi Evangelium; atque e divino illo penu, e cælesti illa doctrina succum veræ Philosophiæ in Vestrum quisque Gregem derivate. Suadete subditis servandam esse Fidem, & exhibendum obsequium illis, qui Dei Ordinatione præsunt & imperant; Date addictis Ecclesiæ Ministerio documenta Fidei, continentiæ, sobrietatis, scientiæ, ac liberalitatis, ut placeant ei, cui se probaverunt; nihilque præseferant, nisi grave, moderatum, ac religione plenum. Super omnia autem in cunctorum Animis ignem mutuæ illius Caritatis accendite, quam tam sæpe, tamque singulariter Christus Dominus commenda-

(a) IV. Reg. XXII. & XXIII. (b) II. Paralipom. XVII. 7. sequ.

davit, quæque una eſt Chriſtianorum Teſſera,& Vinculum perfectionis.

Hæc ſunt, VENERABILES FRATRES, de quibus potiſſimum Vos adloqui in Domino cupiebamus; & quæ a Vobis ardentiſſimo ſtudio, & omni contentione expetimus, ut proprio experimento probemus, quam jucundum ſit Nos omnes unanimes eſſe in fideliter ſervando Depoſito cuſtodiæ Noſtræ concredito. Aſt peccatis Noſtris impedientibus, conſequi illa eadem non poſſumus, niſi cito anticipent Nos miſericordiæ Domini,qui præveniat propitius ſuis Benedictionibus. Quapropter,ut expeditius introeat in conſpectu ejus communis Oratio Noſtra, & ipſe reconcilietur Nobis, & adjuvet infirmitatem Noſtram; quo tempore has Litteras Vobis mittimus, eodem alias damus, quibus Univerſis Chriſtifidelibus JUBILÆUM concedimus, ſperantes in Eo, qui eſt miſerator, & miſericors, ut ſicut dedit Nobis ligandi ac ſolvendi poteſtatem in Terris ad ædificationem ſui Corporis; ſic & Vobis, & Veſtris Gregibus ad ſalutem ſit largiturus, ut ab omni ſemper errore alieni de virtute in virtutem proficiatis. Quod plane ex Animo adprecamur, dum Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Populiſque Curæ Veſtræ commiſſis amantiſſime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXV. Decembris MDCCLXXV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

davit, quæque una est Christianæ [illegible] perfectionis.


Hæc sunt, Venerabiles Fratres, [illegible] ex colloqui & [illegible] a Vobis ardentissimo [illegible] tiones, ut proprio [illegible] si Nos [illegible] [illegible] tum Nostrarum, quo tempore [illegible] strus, eodem alias [illegible] JESU CHRISTI [illegible] mus et miseratore, & misericordiarum [illegible] gandi ac solvendi potestatem in Terris [illegible] nem sui Corporis; sic & Vobis, & Vestris [illegible] salutem sit largiturus, ut ab eo [illegible] semper [illegible] alieni de virtute in virtutem proficiatis. Quod plane ex Animo adprecamur, cum Apostolicam Benedictionem Vobis, Populisque curæ Vestræ commissis amantissime impertimur.


Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXV. Decembris MDCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

HOMILIA
Sanctissimi Domini Nostri
PII
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ SEXTI
HABITA IN BASILICA VATICANA


Dominica XVIII. post Pentecosten
Die 29. Septembris 1776.

IN CONSECRATIONE
REV.MI P. D. JOSEPHI BENI
EPISCOPI CARPENTORACTENSIS





ROMÆ MDCCLXXVI.



Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.







AGNAM tunc Nos percepimus lætitiam, cum Te, VENERABILIS FRATER, intelleximus a Deo admonitum, atque inductum, ut Noſtris acquieſceres hortamentis, tuamque voluntatem judicio Noſtro conjungeres in acceptione Epiſcopalis Cathedræ Carpentoractenſis. Hodie vero geminata perfundimur jucunditate, cum Tibi manus impoſuimus, ut Pontificalis Officii gratiam reciperes. Nos quidem vehementer cupiebamus, ut in illius Eccleſiæ Paſtorem eligeremus eum, qui Clerum & Populum Carpentoractis abduceret a doloris acerbitate ob dimiſſam a VEN. FRATRE Joſepho Vignolio Eccleſiam illam;

& modo certi ſumus, Te in ejus præclaris conſectandis veſtigiis illorum deſiderio maximum eſſe ſolatium allaturum. Quoniam vero uti Ager licet pinguis & fertilis in dies ſpinas gignit, ac tribulos, niſi accurata atque aſſidua cultura ſubigatur; ita Populus quantumvis bene inſtitutus, cultura intermiſsa, facile priſtinum formæ decus amittit: Te idcirco delegimus, VEN. FRATER, Tibique illum Epiſcopatum ultro committimus, quem votis Noſtris egregie reſponſurum non dubitamus. Tu enim præterquam quod ex illuſtribus Majoribus ortus es, inter quos præcipue emicat Paulus Benius, omni Litterarum cognitione, & Orationis puritate, ac elegantia clariſſimus, cujus ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum tot ſint ejus laudes, quot ſunt Operum ſuorum Volumina publicis typis ad immortalitatem conſignata; Tu ipſe propria non minus laude, tuiſque meritis commendaris, ac flores: Qui nimirum a primis annis prætuliſti decus quoddam pietatis, ac plenam honeſtatis imaginem; ut ad Epiſcopatum jam tum deſignatus videreris; cum ſub domeſtica conſuetudine Jacobi Patrui tui, Epiſcopi Fanenſis, præceptis erudiebaris: Qui denique in negotiorum tractatione, ut Nos

plu

pluries experti ſumus, miram diligentiam, ſummamque laboris tolerantiam præſtitiſti. Itaque in tam illuſtri, ad quam accedis, Eccleſia, cum & ætate vigeas, & pietate incendaris, Campum nactus es ampliſſimum, in quo Virtus tua poſſit excurrere. Habet enim Carpentoractenſis Epiſcopus non ſolum Cathedræ ſplendorem, ſed quædam etiam publicæ adminiſtrationis totius Noſtri Vindaſcini Comitatus jura præcipua, quæ ipſius attollunt Dignitatem; ut proinde æquo animo debeas & Natale ſolum relinquere, & a Propinquis abeſſe, cum in eam tranſeas Regionem, in qua, etſi longinqua, multas tamen reperturus es commoditates, & plenas honoris prærogativas. Sed quorſum hæc commemoramus humanæ Vitæ oblectamenta? Cum ad bene beateque vivendum totus Mundus unus ſit locus; & Apoſtoli ut ſal Terræ diſperſi, ad purgandum, & condiendum in remotas Provincias tranſmigrarint.

Scimus plane nihil eſſe in hac Vita, & maxime hoc tempore, ut ajebat Auguſtinus, difficilius, & periculoſius Epiſcopi officio; Sed æque ſcimus, quod ſubdidit idem Sanctus Doctor, nihil apud Deum gratius eſſe, ſi eo modo militetur, quo Magiſter Noſter Chriſtus Domi-

nus imperavit. Præſidet Epiſcopus deſignato ſibi Gregi, & altiore conſidet loco; ſed omnium cogitur ſubeſſe judiciis, ut plerumque, quæ ab Eo errata non ſunt, ab aliis reprobentur, excitata etiam a factioſis indomitiſque Zelotis in omnes Ordines commotione: Sed licet fluctibus mancipemur, fluctibus tamen non demergemur. Recreant Nos verba Joannis docentis: *In hoc Mundo tribulationem habebitis; ſed bono animo eſtote, quia Ego vici Mundum*: Ac proinde Nos confirmat Magnus Pontifex Leo, ſcribens ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum: *Quod nullis debemus ſcandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia ſunt adjutoria, quam vera promiſſa*. Contemne itaque Seculum, VEN: FRATER; & quid hodie per Nos Dei munere es adeptus, diligenter cogita, & meditare. Jam enim intelligis, ac vides Chriſtianam Fidem errorum, ac vitiorum dominatu vexari; atque ab externis, domeſticiſque hoſtibus omnibus impietatis Machinis oppugnari, aſſidueque ad cadendum impelli. Quid enim quotidie agitur, & contenditur multiplici illa nefariorum Librorum colluvie, niſi ut plurimi in Eccleſiæ gremio nati, atque educati, tot teſtimoniis, tot miraculis, tot Sa-

cra-

cramentis confirmati, Christo resistant, Christum abjiciant, & teterrimis opinionibus varie insanientes credulæ ingenia diabolicis laqueis misere implicent, atque innectant? Sed etsi Ecclesiam suam unus, qui omnia potest, fulciat ac sustineat Deus; tamen maximam esse voluit in ea tuenda Episcoporum operam, ac præcipuum eorum munus esse jussit, *docere ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem*. In hoc igitur summo gravissimoque negotio primam, ac potissimam curam, & sollicitudinem adhibere Te oportet; assumptis etiam Viris pietate scientiaque probatis, quorum consilio Pastorale munus strenue adoriaris. Si non multos, at aliquos certe invenies, qui a recta credendi ratione prolapsi, omni standi facultate privati, ad instar *hodierni Paralytici Evangelici*, in errorum lecto decumbunt. Ast Tu Magistri exempla sequendo, Divini Numinis viventis, ac regnantis claritatem iis ingere, ac demonstra, & validiorum hominum auxilio ad Christum deferri cura; ut Valetudine recepta, integri, ac Fidei societate Tecum conjuncti, pedibus suis se in Domum læti recipiant. Præ ceteris autem vigila, atque omne studium confer in delectum Professorum, qui Scholis præsunt; ne

illi

illi scilicet a gravitate Moralis disciplinæ deficiant, neu vanis & pestiferis inserviant Quæstionum novitatibus, neve alios deinde malitiæ fermento corrumpant: Sed iis moribus, ea doctrina sint præditi, ut iisdem pueritia, atque adolescentia recte committi ad institutionem possit, a qua Tibi semper idonei ad Vineam Domini colendam sufficiantur Operarii. In hoc Tibi ipse velimus non desis, nec molliter cedas; sed eversæ Hierosolymæ mœnia erigens, altera manu gladium stringe, altera opus perfice. Hæc eruditus olim Vir præcipue videnda, ac ponderanda proposuit eximio Prædecessori Tuo *(a)*, cujus nomen omnem superat laudationem; Jacobo nimirum Cardinali Sadoleto, qui Ecclesiæ Carpentoractensi tamdiu ad ipsius præfuit felicitatem. Hæc dum Tibi eidem Ecclesiæ præfuturo in memoriam redigere, atque inculcare pro rei gravitate opportunum judicamus, una etiam conjungimus ea, quæ tamquam a Domo tua profecta ad Te præsertim pertinere, Teque maxime debent permovere; quæ nimirum cum prudenti agendi ratione sapienter insinuata fuerunt a laudato Agnato Tuo Paulo, cum pro alio scriberet ad Franciscum Gonzagam Epi-

(a) *Epist. 9. in Appendic. Epistolar. Jacob. Sadolet. collect. a Vincent. Alexan. Constantio.*

Episcopum Mantuanum. *Magnum quidem*, ait ille, *atque præclarum in Vinea Domini laborare, atque ad Animarum salutem incumbere; præclarius hanc Zelo, & Caritate procurare: Verum longe maximum, ac præclarissimum est, id munus intelligenter, caute, prudenterque administrare. Quid enim, obsecro, refert diurnos, nocturnosque labores, atque vigilias ad nobile opus conferre, nisi rationem, ac viam teneas, qua id recte utiliterque instituas, & peragas? ... Ego sane, quemadmodum præclare omnino a Magno Dionysio illud pronunciatum existimo, hominum saluti operam dare esse Divinorum omnium divinissimum; ita etiam tum demum Divinum hoc præceptum, ac documentum expleri, ac perfici posse arbitror, cum ad laborem Caritas adjungitur Comes, ad Caritatem Intelligentia, atque Doctrina Dux, & Moderatrix accesserit.* Immo vero, *quemadmodum auctoritas in Dominico Grege administrando, Caput est, ac vertex, & sine qua nihil rite ædificaveris ...; ita etiam nisi quis quando, quomodo, & quatenus hoc, vel illud agendum, jubendum, prohibendumve sit, recte perspexerit, ac summatim de suæ auctoritatis vi, loco, personis, opportunitate omnino edoctus fuerit, inaniter ædificat,*

ficat, *sæpe etiam exædificata evertat necesse est*. (*a*).

Hæc Benius Tuus; qui cum paucis universam Ecclesiastici Regiminis normam complexus sit, Nos ulterius progredi necesse haud est, cum ea præsertim delibaverimus monita, quibus Populi ab illa, quæ hodie invaluit, ac quodammodo triumphat, vivendi, credendique corruptione, revocentur. Interea quod a propensa Nostra voluntate, & benevolentia promeritus es, id tuæ virtuti acceptum Nos referimus; ac ut omnino credas cupimus, suasum Nobis esse, Talem in Te præfecisse Episcopum, qualem perturbata hæc Christianæ Reipublicæ tempora postulant.

(a) *Epist. 15. inter Epistol. & Præfation. Paul. Benii Eugubin.*



